UNIVERSITATIS LITTERARIAE
RUPERTAE CAROLAE
HEIDELBERGENSIS

PRORECTOR MAGNIFICUS,

CAROLUS CHRISTIANUS LANGSDORF,

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET MATHEMATICARUM DOCTRINARUM PROF. P. O. AUGUSTOQUE MAGNO DUCI BADAR. A CONSIL. AUL. INTIMIS, UNIVERSITATIS LITTERARIAE IMPERATORIAE RUSSICAE VILNENSIS PROF. HONORAR. ET PLURIMARUM SOCIETATUM SODALIS,

DIE XII. IUNII

MAGISTRATU ABIT,

SIMULQUE

CIVIBUS COMMENDATUR

SUCCESSOR AUSPICATO CREATUS,

IACOBUS FIDELIS ACKERMANN,

PHILOSOPHIAE MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTOR ET ANATOMIAE AC PHYSIOLOGIAE PROF. P. O. AUGUSTOQUE MAGNO DUCI BADAR. A CONSIL. AULAE INTIMIS, INSTITUTI POLICLINICI MEDICI ET CHIRURGICI RECTOR, PLURIMARUMQUE SOCIETATUM SODALIS.

DISPUTATUR DE PLATONICO SYSTEMATE COELESTIUM GLOBORUM ET DE VERA INDOLE ASTRONOMIAE PHILOLAICAE.

HEIDELBERGAE MDCCCX.

TYPIS IOSEPHI ENGELMANNI.

Summus ille Deus, quem huius mundi opificem Plato appellat, postquam corporis mundani compagem ea ratione concinnaverat, quam in proxima commentatione geometrica subtilitate explicui; absolutissimo animali, cuncta animalia comprehendenti, figuram quoque omnium absolutissimam universasque figuras complexam et ubique aequalem, tribuendam censuit, hoc est sphaericam formam, qua neque pulchriorem neque perfectiorem inveniri iudicabat Pythagorica et Platonica philosophia *): et quaenam figura universo magis convenire poterat, quam ea, quae ipsius aeternitatis symbolum veteribus videbatur esse? Neque in hoc Plato princeps habendus est, sed auctores sequitur Empedoclem et Parmenidem, in carmi-

*) V. Tim. p. 33. B. 62. D. et e recentioribus praeter alios Plutarchus, qui olim habitus est, de placc. philoss. I, 6. et ibi Corsinus, qui tamen Platonis loca neglexit, ac Philo de victim. p. 33. Cf. Gataker. ad Antonin. XII. 3. Ut rotunda forma aeternitatem significat, ita recta linea tempus et finitum. Unde eximie dixit Alcmaeon in Probl. Aristot. XVII, 3. τοὺς ἀνθρώπους διὰ τοῦτο ἀπόλλυσθαι, ὅτι οὐ δύνανται τὴν ἀρχὴν τῷ τέλει προςάψαι.

nibus de rerum natura eodem modo philosophatos. *) Iam huic globo, pergit Timaeus, Deus id genus motus indidit, quod sphaerae proprium est, quodque ex septem motus generibus ad mentem et intelligentiam maxime pertinet. Nam quum septem modis corpus moveri possit, in gyrum, deinde sursum ac deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, prorsum et retrorsum, quae genera recte intelligunt veteres interpretes: primus ille

*) Parmenidis versus sunt ap. Aristot. de Xenoph. Zenon. et Gorg. c. 4. et plenius ap. Plat. Sophist. p. 244. E. ex quo ediderunt Stephanus in poesi philosophica et Füllebornius in Fragmm. collect. εἴπερ τοίνυν ὅλον ἐστὶν, ὥςπερ καὶ Παρμενίδης λέγει,

Παντόθεν εὐκύκλου σφαίρας ἐναλίγκιον ὄγκῳ,
Μεσσόθεν ἰσοπαλὲς πάντῃ· τὸ γὰρ οὔτε τι μεῖζον
Οὔτε τι βαιότερον πελέμεν χρεὼν ἔστι τῇ ἢ τῇ.

Ita enim egregie restituit amicissimus Spaldingius Vindicc. Megarr. p. 51. ex Simplicio in Aristot. Physicc. I, fol. 12. b. ut aliorum infelices emendandi conatus taceam, firmatque id ex parte Stob. Eclogg. physs. I, 15. p. 352. Heeren. Eum Parmenidis locum Plato in animo habuisse videtur quum scriberet p. 34. B. verba, πανταχῇ ἐκ μέσου ἴσον. Empedoclis versus laudat Stob. I, 16. p. 354.

Ἀλλ' ὅγε παντόθεν ἶσος ἐὼν καὶ πάμπαν ἀπείρων
Σφαῖρος κυκλοτερὴς, κώνῃ περιηγέϊ γαίων.

Nam sic pro ultima voce γαίων scribendum est aliunde et ex Antonin. XII, 3. (cf. VIII, 41.) cum Salmasio ad Solin. p. 97. non intelligente quamvis Heerenio, qui nec σφαῖρος mutare debebat. Quod autem in Stobaei codice, quem tractavit Heerenius, hi versus Parmenidi tribuuntur, error est ex ceteris locis corrigendus. Add. Sturz. Fragmm. Empedocl. p. 543 sqq. et passim.

orbiculatus motus menti convenire potissimum videtur, quod eadem semper ratione, in eodem et in sese ipso versatur*), ceteris loci mutationem requirentibus, quam ab universi natura alienam esse voluit summus maximi operis fabricator. Verum quoniam corpus ipsum sese movere nequit, idem animam in medium imposuit, eamque per universum diffusam usque ad extrema porrexit, atque etiam extrinsecus mundano corpori circumdedit**); ita ut ea primitiva causa et fons esset vitae motusque, ab sese ipsa mota neque ulla externa vi impulsa, sed cetera omnia impellens atque animans.***) Igitur ex decem motus generibus, quae lib. X. de Legibus Plato statuit, mundo tanquam corpori tribuitur primum, ubi corpus in eodem loco ita movetur, ut centrum quidem firmiter stet, circuli autem circumiecti minores et maiores secundum proportionem ferantur †): sed tanquam animato corpori decimum ei genus congruit, quo sese ipsum moveat et omnia in sese, nulla extrinsecus impellente causa. Et sic opifex mundum deum beatum effecit. Iam vero ut ipsa mundi anima constructa, et musicis sive barmonicis intervallis per universum corpus disposita ac divisa sit, Platonicis ac Pythagoricis rationibus alio loco complexus sum, neque ea, quae ibi quam poteram accuratis-

---

*) Cf. Legg. X, p. 898. A.

**) P. 34. B. Ψυχὴν δὲ εἰς τὸ μέσον αὐτοῦ θεὶς διὰ παντός τε ἔτεινε, καὶ ἔτι ἔξω τὸ σῶμα αὐτῇ περιεκάλυψεν.

***) Legg. X, p. 894. C. Cf. Phaedr. p. 245. C.

†) Legg. X, p. 893. C.

sime explicui, volo nunc repetere.*) Quae quidem animae conformatio efficit, ut duobus gyris coelum moveatur, altero exteriore, qui semper idem, in eodem spatio eademque ratione circumfertur, idque recto cursu versus dexteram: diurnus enim motus significatur: altero interiore, ex septem circulis conflato, et versus sinistram transverse circumacto, quo continentur orbes solis, lunae ac planetarum in Zodiaco motorum. Et Zodiaci sidera his intervallis distant abs terra**):

☽	☉	♀	☿	♂	♃	♄
1	2	3	4	8	9	27

Supra omnia autem haec est coelum stellarum fixarum sive aplanes. Hae tamen harmoniae, quum non experientia duce inventae, sed ex opinione, quam a vera scientia Plato prorsus alienam iudicat, essent ductae, ab aliis aliter institutae, postremo a Ptolemaeo, in aspectibus potius sphaerarum musicam quaerente, et recentioribus temporibus ab Io. Keplero relictae sunt.***)

In media illorum globorum universitate, etiam apud Platonem, ut apud plurimos veterum †), nostra genitrix et nutrix

*) V. commentationem nostram de animae mundanae conformatione in Timaeo Platonis, in Daubii et Creuzeri Studiis T. III. P. I, p. 1—96.

**) P. 36. B. Idem symbolice declaratur Rep. X, p. 616. B sqq. ubi praeterea universum coelum cingi dicitur lumine quodam Iridi simili, quo, ni fallor, significatur galaxias.

***) V. nos l. l. p. 93. add. Kepler. de harmonia mundi V, 8.

†) Aristot. de coelo II, 13. Haec Platonis aetate videtur in vulgus recepta opinio fuisse, quocirca invenitur etiam in Axiocho c. 12. p. 121. nostrae edit.

terra stabilita est: utrum tamen huic immobilis stet nec ne, magna inter veteres philosophos et criticos lis fuit, quoniam nonnulli ex ipso nostro Timaeo Platoni sententiam de terra circum axem mota vindicare ausi erant. Quae opinio nititur huius dialogi verbis hisce*): Γῆν δὲ τροφὸν μὲν ἡμετέραν, εἱλουμένην δὲ περὶ τὸν διὰ παντὸς πόλον τεταμένον, φύλακα καὶ δημιουργὸν νυκτός τε καὶ ἡμέρας ἐμηχανήσατο, πρώτην καὶ πρεσβυτάτην σωμάτων, ὅσα ἐντὸς οὐρανοῦ γέγονεν. Unde id, quod dixi, primus Aristoteles collegisse fertur, quum secundo libro de coelo **) inquit: Ἔνιοι δὲ καὶ κειμένην ἐπὶ τοῦ κέντρου φασὶν αὐτὴν εἱλεῖσθαι περὶ τὸν διὰ παντὸς τεταμένον πόλον, ὥσπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραπται. Aristotelis auctoritatem sequitur vilis compilator Diogenes Laertius ***) cum aliis nonnullis †); sed principes Platonicorum, Plutarchus, Galenus, Timaeus Sophista, Proclus, postremo et Simplicius contrariam sententiam argumentis tuentur: ita tamen, ut Ruhnkenius, qui ultimo loco causam haud indocte tractavit, si quaereres, utra Platonis doctrina sit, iudicium sustinere satius habuerit. ††) Verborum sensus

---

*) P. 40. B.

**) Cap. 13.

***) III, 75.

†) Ut cum Alexandro Aphrodisiensi, cuius verba infra apponentur. Cf. Cic. Acad. Qu. IV. 39.

††) Ad Timaei Sophist. Lex. Plat. p. 69 — 72. ubi etiam Corsinus ad Plutarcheum librum de placc. philoss. diss. I, p. XXXIV. citatus est.

interpretationem in utramque partem admittit: nam sive *ἰλλομένην* sive *εἰλουμένην* legas, significat *circumvolutam*, quod, si terrae rotationem statuas, erit *motam et volutam circum axem;* sin immotam tellurem, *convolutam et adstrictam axi mundano* notabit, *globique forma adhaerentem.* *) Quapropter, quum grammaticis rationibus nihil efficiatur, ex ceteris Platonis placitis argumenta petenda erunt. Quod ei terra est *φύλαξ καὶ δημιουργὸς νυκτός τε καὶ ἡμέρας*, Ruhnkenio terrae motum circum axem ostendere videbatur: sed custos et effectrix noctis et diei etiam tunc est, ubi loco suo manet, et sole supra eam

---

*) Globosam enim terram Plato facit. V. Phaedon. p. 108. E. Duplicem sensum verborum ἴλλεσθαι et εἰλεῖσθαι ostendit Hemsterhusius ap. Ruhnken. l. l. Similiter rem expediverat Simplicius in Aristot. de coel. II, fol. 125. b. τὸ δὲ ἰλλομένην εἰ διὰ τοῦ ι γράφεται, τὴν προςδεδεμένην σημαίνει. καὶ οὕτω καὶ ὁ Ἀπολλώνιος ποιητὴς, δεσμοῖς ἰλλόμενον, τουτέστιν ἐνδεδεμένον, μεγάλων νώτων ἐξέωσεν. (Fefellit memoria, quum Apollonius I, 129. dixisset μεγάλων ἀπεθήκατο νώτων.) καὶ ὅμος ἰλλασίοις, τουτέστι δεσμοῖς, οὐ βίᾳ δεσμοῦντες ἄγουσιν. Lege, καὶ Ὅμηρος, ἰλλάσιν, τουτέστι δεσμοῖς, οὐκ ἐθέλοντα βίῃ δήσαντες (vel δεσμοῦντες, e memoria) ἄγουσιν. Iliad. N, 572. Similia invenies apud Proclum ab Ruhnkenio excerptum: sed novum est, quod addit Simplicius: εἰ δὲ διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφεται, καὶ οὕτω τὴν κωλυομένην σημαίνει, ὡς Αἰσχύλος ἐν Βαττάροις. Lege ἐν Βασσάραις. Hesychius: εἰλλόμενον· εἰργόμενον. Αἰσχύλος Βασσάραις. Postremo scita et haec est Simplicii animadversio: ἔπειτα καὶ ἐν τοῖς κυκλοτερέσι σχήμασι λέγεται τὸ συνεστράφθαι, καὶ εἰ μὴ κινεῖται.

ascendente lucem accipit, submerso autem infra finalem circulum umbram superioribus regionibus mole sua obiicit, lucis radios tum ab altero hemisphaerio tum a superiecto coelo defendens. Non moveri tellurem, Proclus et Simplicius ostendunt ex Phaedone *), ubi dicitur: *τὴν ὁμοιότητα τοῦ οὐρανοῦ αὐτοῦ ἑαυτῷ πάντῃ, καὶ τῆς γῆς αὐτῆς τὴν ἰσοῤῥοπίαν*, adiecta causa: *ἰσόῤῥοπον γὰρ πρᾶγμα ὁμοίου τινὸς ἐν μέσῳ τεθὲν, οὐχ ἕξει μᾶλλον οὐδ' ἧττον οὐδαμόσε κλιθῆναι· ὁμοίως δ' ἔχον ἀκλινὲς μένει.* Parum firmum tamen argumentum est ex Phaedone ductum ad interpretandum Timaei locum: nec melius alterum, quod Locrus Timaeus, quem Plato sequi putabatur, terram stare affirmat, quia, ut nuper explicuimus, non Plato ex Locro, sed personatus Locrus ex Platone sua compilavit. At omnium firmissimum et certissimum argumentum ex ipso nostro dialogo sumptum, adhuc, quod iure mirere, nemo reperit. Etenim, quum paullo supra **) orbem stellarum fixarum, quem Graeci *ἀπλανῆ* appellant, dextrorsum ferri quotidiano motu Plato statuisset, non poterat ullum terrae motum admittere, quia, qui hunc admittit, illum non tollere non potest. Accedit, quod

---

*) p. 109. A.

**) p. 36. C. Dextrorsum movetur, quia hic motus convenit naturae Eiusdem (*ταὐτοῦ*), de quo v. Procl. ad Tim. V, p. 344. Cf. Aristot. Metaph. I, 5. Quam parum his placitis terrae motus ab oriente ad occidentem, qui sinistrorsum fit, congruat, nihil opus est monere.

ex diurna rotatione coeli sive illius orbis, qui vocatur Eiusdem, noctium dierumque vices existere dicuntur.*)

Nihil superest, nisi quod mirum videtur, Aristotelem, qui ipsum Timaeum excerpserat et Platonis quondam discipulus fuerat, ita labi potuisse, ut apertissime declaratam eius sententiam plane perverteret: id quod etiam Alexandrum Aphrodisiensem, doctissimum Stagiritae interpretem, merito offendit.**) Sed contra Alexandri calumniam Platonis inconstantiam arguentis recte coortus est Simplicius, Aristotelem sic purgaturus, ut vel ad vulgarem interpretationem Platonici in Timaeo loci sese retulisse dicatur, quum *ἰλλομένην* sive *εἰλουμένην* de orbiculato motu accepit, vel diversas opiniones non tantum eorum, qui moverent terram, sed et aliorum, qui stare dicerent, putetur voluisse afferre: et haec, quam ultimo loco posui, excusatio, ante lectum Simplicium sponte mihi oblata, quo magis loci tenorem et contextum considero, eo videtur probabilior esse.

---

*) p. 39. C. νὺξ μὲν οὖν ἡμέρα τε γέγονεν οὕτω, καὶ διὰ ταῦτα ἡ τῆς μιᾶς καὶ φρονιμωτάτης κυκλήσεως περίοδος.

**) Dicit hic ap. Simplic. l. l. Ἀλλὰ τῷ Ἀριστοτέλει οὕτω λέγοντι ἴλλεσθαι, οὐκ εὔλογον ἀντιλέγειν. ὡς ἀληθῶς γὰρ οὔτε τῆς λέξεως τὸ σημαινόμενον εἰκὸς ἦν ἀγνοεῖν αὐτὸν, οὔτε τὸν τοῦ Πλάτωνος σκοπόν. εἰ δὲ ἀλλαχοῦ ὁ Πλάτων ἄλλως λέγει, οὐδὲν τοῦτό φησι πρὸς τὸν λόγον. ὁ γὰρ Ἀριστοτέλης τὸ ἐν τῷ Τιμαίῳ προτίθησιν, εἴτε καὶ ἀρεσκόμενος αὐτῷ οὕτω λέγει Πλάτων, εἴτε καὶ ὡς τοῦ Τιμαίου δόξαν διέρχεται.

Simplicio tamen prior ratio magis arridet, quod aliunde appareat, Aristotelem non ignorasse Platonis placitum de stabilitate terrae: sed locus, unde hoc colligitur, non de orbe terrarum, sed de elemento terrae cubi forma definito intelligendus est. *)

Itaque sanior de systemate mundi doctrina a scriptis quidem Platonis plane aliena est, quum apud eum neque circum solem, neque circum axem terra moveatur: tamen utraque inventio novis temporibus a Nicolao Copernico facta, in libris plurimis de historia astronomiae et mathematicarum doctrinarum veteribus ante Platonem tribuitur. Sed hoc nullo modo demonstrari potest. **) Incerti enim aetatis est is, cui inter primos

---

*) Simplic. in Aristot. de coel. III, fol. 161. B. Ἔστι δὲ ἄξιον ἐπιστῆσαι, ὅτι καὶ ὁ Ἀριστοτέλης οἶδε τὸν Πλάτωνα νομίζειν τὴν γῆν μενετικὴν, εἴπερ διὰ τοῦτο κύβον αὐτὴν ἔλεγε, διὰ τὸ ἐκτετάνθαι καὶ μένειν. ὥςτε ὅτε ἐν τῷ προτέρῳ βιβλίῳ ἰλλομένην καὶ κινουμένην τὴν γῆν ὑπὸ τοῦ Τιμαίου λέγεσθαι ἔφη, πρὸς τοὺς οὕτω τὰ ῥήματα τοῦ Τιμαίου νοοῦντας ἀπήντησεν. Cf. Plat. Tim. p. 55. D. E.

**) Error a Montucla (Hist. math. T. I, p. 118.) potissimum propagatus fluxit ex Aristot. de coel. II, 13. et similibus quibusdam locis: sed longe alius eorum sensus est, ut infra apparebit: quapropter et alii de ea re dubitarunt. Quamquam Copernicus, haud sine causa, inventa sua ipse pro Pythagoricis vulgavit (v. eius Revolutt. coelest. Praef. et Gassendi vit. Copernic. p. 297.): haud aliter quam Jo. Keplerus suam de quinque solidis doctrinam ad planetarum intervalla adaptatis ad Pythagoricos perperam retulit. Et verum est, Copernicum novam de mundi ordine rationem ex veterum notitia duxisse, ipso affirmante in epistola ad Paullum III. Pontificem Romanum:

terrae rotatio circum axem adscribitur, de quo Cicero *): *Hicetas Syracusius, ut ait Theophrastus* **), *coelum, solem, lunam, stellas, supera denique omnia stare censet, neque praeter terram rem ullam in mundo moveri* (planetas excipe et proinde etiam solem et lunam, suo quosque anno orbem motus sui perficientes): *quae quum circum axem se summa celeritate convertat et torqueat, eadem effici omnia, quasi stante terra coelum moveretur. Atque hoc*, Tullius pergit, *etiam Platonem in Timaeo dicere quidam arbitrantur, sed paullo obscurius.* Idem placuit Heraclidi Pontico, Platonis discipulo, et Ecphanto Pythagoreo. ***) Sed motum terrae circum solem unaque eius rotationem circum axem Cleanthis tempore invenit Samius Aristarchus, quem ille impietatis accusandum a Graecis esse censebat, quod universi lares Vestamque loco movere ausus esset, ὅτι φαινόμενα σώζειν ἀνὴρ

Reperi, inquit, *apud Ciceronem, primum Nicetam scripsisse terram moveri... Inde igitur occasionem nactus, coepi et ego de terrae mobilitate cogitare.* Sed Hicetam Pythagoricum fuisse non constat. Vulgarem de Philolao Pythagorico opinionem repetiit vir doctus et ingeniosus, Prevostus in Commentt. Soc. doctrr. Berol. Gallice scriptis philos. specul. 1802. p. 75 sqq.

*) Qu. Acad. IV, 39. Vulgo ibi Nicetas est: sed Ἱκέταν recte exhibet Diog. L. VIII, 85. ubi v. Intpp.

**) Scripserat is sex libros ἀστρολογικῆς ἱστορίας, unde hoc est et quod mox ex Plutarcho afferam. Cf. Menag. ad Diog. L. V, 50.

***) De utroque v. Plutarcheum scriptorem de placc. philoss. III, 7. de Heraclide Proclum in Tim. III, p. 281.

ἐπειρᾶτο, μένειν τὸν οὐρανὸν ὑποτιθέμενος, ἐξελίττεσθαι δὲ κατὰ λοξοῦ κύκλου τὴν γῆν, ἅμα καὶ περὶ τὸν αὑτῆς ἄξονα δινουμένην, quae verba sunt Plutarchi in libro de facie in orbe lunae.*) Mox Aristarchum secutus est Erythraeus Seleucus. Et Theophrasti narratio refertur, quae Platonem, quum senex esset, poenituisse dicit, quod terrae medium mundi locum tribuisset, qui praestantiori potius sphaerae assignandus esset.**) Ac quidni Plato in eam sententiam inciderit, quum iam Pythagorici terram non excellentiorem ceteris astris habuerint, quumque Xenophanes et Philolaus lunam non minus quam tellurem, multorum montium et urbium terram adeoque eiusdem naturae esse censuerint?***) Ceterum Aristarchus ex Platonis quidem doctrina vix quidquam profecerit, sed per se id placitum amplecti debebat is, qui solem terra multo

*) p. 35. T. VII. ed. Tub. Moralium. Cf. Qu. Platt. VII, p. 271. de placc. philoss. II, 24. ubi et (ex Corsini emendatione) vera defectuum solis ac lunae ratio redditur; item Sextus Empiricus et Archimedes ll. ll. ap. Menag. ad Diog. L. VIII, 85. Ceterum mirum est Cleanthem de Aristarcho tam male iudicasse, cum ille ipse soli principatum mundi tribueret, non terrae. V. Stob. Eclogg. physs. I, 22. p. 452. Quapropter nescio an deridere Graecam superstitionem voluerit, ipse Aristarchi sententiae addictus.

**) Plutarch. Qu. Platt. ibid. et vit. Num. T. I, p. 166. ed. Tub. Vitarum. Pythagoricis tribuit Auctor de placc. philoss. II, 30. Cf. librum de facie in orbe lunae ibid.

***) Cic. Acad. Qu. IV, 39. Stob. Eclogg. physs. I, 27. p. 562.

maiorem iudicaret: quamquam rem non argumentis probavit, sed tantum ita posuit, Seleuco posthac rationes adiiciente. *)

Sed ante ceteros Philolaus sub ipsos natales novi systematis mundani ab inventore eiusque asseclis, Copernico, Gassendo, Bullialdo, qui illius nomine eximium librum de vera mundi constructione inscripsit, eiusdem auctor habitus est; quod quale sit, hac ratione prorsus intelligemus. Scriptor placitorum **): *Οἱ μὲν ἄλλοι*, inquit, *μένειν τὴν γῆν· Φιλόλαος δὲ ὁ Πυθαγόρειος κύκλῳ περιφέρεσθαι περὶ τὸ πῦρ κατὰ κύκλου λοξοῦ, ὁμοιοτρόπως ἡλίῳ καὶ σελήνῃ.* Et Diogenes ***): *καὶ (Φιλόλαος δοκεῖ) τὴν γῆν κινεῖσθαι κατὰ κύκλον πρῶτον εἰπεῖν, οἱ δὲ Ἱκέταν Συρακούσιον φασίν.* Vides ex priori loco, non rotationem terrae circum axem a Philolao significari, sed motum circum aliam quandam sphaeram, non tamen circum solem, sed potius una cum sole et luna circum aliquem ignem. Classicus in eam rem locus est Aristotelis †): *Ἐναντίως οἱ περὶ τὴν Ἰταλίαν, καλούμενοι δὲ Πυθαγόρειοι λέγουσιν· ἐπὶ μὲν γὰρ*

---

*) Hic sensus est loci Plutarchei in Qu. Platt. *ὕστερον Ἀρίσταρχος καὶ Σέλευκος ἀπεδείκνυσαν, ὁ μὲν ὑποτιθέμενος μόνον, ὁ δὲ Σέλευκος καὶ ἀποφαινόμενος.* Non video tamen, qui negari possit eos nosse id systema, quod Copernicus detexit. Sed cf. Schaubach. Hist. astron. Gr. p. 469 sq.

**) III, 7.

***) VIII, 85.


†) de coelo II, 13.

τοῦ μέσου πῦρ εἶναί φασι, τὴν δὲ γῆν ἓν τῶν ἄστρων οὖσαν κύκλῳ φερομένην περὶ τὸ μέσον, νύκτα τε καὶ ἡμέραν ποιεῖν. ἔτι δ' ἐναντίαν ἄλλην ταύτῃ κατασκευάζουσι γῆν, ἣν ἀντίχθονα ὄνομα καλοῦσιν, οὐ πρὸς τὰ φαινόμενα τοὺς λόγους καὶ τὰς αἰτίας ζητοῦντες, ἀλλὰ πρός τινας δόξας καὶ λόγους αὐτῶν τὰ φαινόμενα προσέλκοντες καὶ πειρώμενοι συγκοσμεῖν. Et mox: ἀλλ' ὅσοι μὲν μηδὲ ἐπὶ τοῦ μέσου κεῖσθαί φασιν αὐτήν, κινεῖσθαι δὲ κύκλῳ περὶ τὸ μέσον· οὐ μόνον δὲ ταύτην, ἀλλὰ καὶ τὴν ἀντίχθονα, καθάπερ εἴπομεν πρότερον. Debere autem ignem principem locum obtinere dicunt, tanquam praestantissimam et maxime efficacem omnium mundanarum rerum; et locum, ubi is est, appellant Διὸς φυλακήν. *) Ordinem vero, quo

---

*) Aristot. ibid. Stob. Eclogg. physs. I, 23. p. 488. Φιλόλαος πῦρ ἐν μέσῳ περὶ τὸ κέντρον, ὅπερ ἑστίαν τοῦ παντὸς καλεῖ καὶ Διὸς οἶκον καὶ μητέρα θεῶν, βωμόν τε καὶ συνοχὴν καὶ μέτρον φύσεως. Cf. p. 468. c. 22. et ibid. p. 452. Postremus tamen locus an genuinus sit, dubitat Tennemannus Hist. philos. T. I, p. 129. quod opifex mundi Deus atque anima mundana ibi distinguantur. Equidem credo potissima ex Philolai libris ducta, sed a Stobaeo vel alio, abs quo is habet, in Platonicae philosophiae verba formulasque translata esse. Ita si statuas, non est, quod doctrinam putes Philolai non esse, quum omnia conveniant cum iis, quae Aristoteles tradidit. Omnino Philolao suppositi libri non videntur: certe eius fragmenta apud Stobaeum fraudis indicia non habent. Concessit hoc et Meinersius Hist. doctrr. ap. vett. T. I, p. 598. 601. Stobaei locis adde Plutarch. Num. I. l. Placc. philos. III, 11. Simplic. in Aristot. de coel. II, fol. 124. qui provocat ad Aristotelem in Pythagoricis, Procl.

circum ignem astra disposita esse Philolaus ferebat, his verbis definit Stobaeus*): πρῶτον δ' εἶναι φύσει τὸ μέσον, περὶ δὲ τοῦτο δέκα σώματα θεῖα χορεύειν, οὐρανὸν, πλανήτας, μεθ' οὓς ἥλιον, ὑφ ᾧ σελήνην, ὑφ' ᾗ τὴν γῆν, ὑφ' ᾗ τὴν ἀντίχθονα, μεθ' ἃ σύμπαντα πῦρ, ἑστίας ἐπὶ τὰ κέντρα τάξιν ἔχον. Hi igitur sunt orbes coelestium sphaerarum ex Philolai sententia.



Iam ex hoc mundi ordine Philolaus eas, quae in terra et coelo apparent, coelestium globorum mutationes explicare

---

in Tim. III, p. 172. καὶ οἱ Πυθαγόρειοι δὲ Ζανὸς πύργον ἢ Ζανὸς φυλακὴν ἀπεκάλουν τὸ μέσον. Chalcid. in Tim. p. 214. *Placet quippe Pythagoreis ignem, utpote materiarum omnium principem, medietatem mundi obtinere, quem Iovis custodem apellant.* Leg. *quam Iovis custodiam appellant.*

*) Eclogg. physs. I, 23. p. 588.

conatus est. Primum enim, quum soli tantum tribuere non posset, ut propriam lucem ei assignaret, quippe quum medium et centrum mundi, ut motus ac gravitationis, ita et lucis fontem esse merito statueret, solem autem medium ponere non auderet, Philolaus hoc commentum excogitavit, quod etiam Empedocles habet, ut ab igne, mundi centro, sol lucem accipere diceretur, et hic noster adspectabilis sol vitreae naturae esset, in medio mundo positi solis radios excipiens, et speculi instar exceptos una cum calore in terram remittens: quapropter, qui oculis nostris apparet, eum quidem solem nec primum, nec secundum, sed tertiam quandam imaginis imaginem ad nos reflexam appellat. *) Quod placitum tantum abest, ut cum Tennemanno nostro **) suspectum habeam, ut etiam, quod statim apparebit, necessarium huic Pythagorico iudicandum esse censeam. Alterum est, quod noctis et diei vicissitudines inde

---

*) Stob. Eclogg. physs. I, 26. p. 530. Φιλόλαος ὁ Πυθαγόρειος ὑαλοειδῆ τὸν ἥλιον, δεχόμενον μὲν τοῦ ἐν τῷ κόσμῳ πυρὸς τὴν ἀνταύγειαν, διηθοῦντά τε πρὸς ἡμᾶς τό, τε φῶς καὶ τὴν ἀλέαν, ὥστε τρόπον τινὰ διττοὺς ἡλίους γίγνεσθαι, τό τε ἐν τῷ οὐρανῷ πυρῶδες, καὶ τὸ ἀπ' αὐτοῦ πυροειδὲς κατὰ τὸ ἐσοπτροειδὲς, εἰ μή τις καὶ τρίτην λέξει τὴν ἀπὸ τοῦ ἐνόπτρου κατ' ἀνάκλασιν διασπειρομένην πρὸς ἡμᾶς αὐγήν. Empedoclis dictum ibidem obvium paullo post recitabo. De Philolao adde Auctorem de placc. philoss. II, 20.

**) Hist. philos. T. I, p. 123. Melius omnem rem tractaverat Tiedemannus, quamquam non sine admistis erroribus, in Graeciae antiquiss. philoss. p. 448 sqq.

explicare Philolaus voluit: motam enim circum ignem terram efficere diem noctemque ex Aristotelis narratione statuerant Pythagorici et inter eos haud dubie Philolaus. Hoc vero cum terra non rotatione circum axem efficiat, apertum est fieri mutatione positus ad solem (τῇ πρὸς τὸν ἥλιον σχέσει), ut recte addit Simplicius in interpretatione eius loci, sive is sic in ipso Aristotelis textu repererat, sive aliunde acceperat. Hoc quale sit, Placita philosophorum ostendunt, quae secundum Philolaum terram ferri dicunt obliquo orbe (κατὰ κύκλου λοξοῦ) et versus eandem partem, versus quam solem et lunam (ὁμοιοτρόπως ἡλίῳ καὶ σελήνῃ).

Sol fertur in ecliptico circulo, quem oblique secat aequidialis orbis, in quo terra movetur: sol autem, luna et planetae feruntur ab occidente ad orientem: similiter igitur ab occasu ad ortum terram moveri Philolaus statuebat, non tamen circum axem, sed circum medium mundi ignem, idque unius noctis et diei spatio. Rem in hac figura declarabo.

Sit C centralis ignis, et A sol, qui annuo motu per orbem circum ignem fertur. Terra sit in G, circumlata diurno motu, sed minore orbe, eoque ad orbem solis oblique posito, ut circulus EF ad orbem BD. Iam sol ex A versus occidentem pergit, sed lento gradu, ita ut pluribus diebus tantum ad L perveniat: sed terra duodecim horis usque ad g provehitur, cum et ipsa versus eandem partem moveatur; itaque positus eius ad solem vehementer immutatur. Sed qui fiat, ut inde noctis et diei vicissitudo nascatur, nondum apparet: quod ut intelligatur, haec addenda sunt. Una cum terra circum ignem ambulat antichthon, ut praeter Aristotelem Simplicius notat, et haec quidem centrali igni semper propior manet, ipsoque nomine ostendente, nihil aliud est quam opposita nostrae terra, ut ait Aristoteles, hoc est terra antipodum, sive eam cum nostra cohaerentem, sive divulsam Philolaus finxerit.*) Iam H sit antichthon; ubi antichthon in eo loco est, dies erit in terra G. Sin autem terra infra aequidialem circulum BD descenderit,

*) Posterius ideo putatur, quod antichthona fictam dicunt ad explendum denarium numerum coelestium globorum: v. Aristot. Metaph. I, 5. Sed potuit terra pro binis numerari, etsi antichthona cum tellure cohaerentem Philolaus putaverit. Atque hoc verisimile fit, quum et Aristotelem et Auctorem placitorum de antichthone haud aliter quam de opposita nostrae terra loqui videmus. Quin etiam, si coelum numeres, quod multi faciunt, vel praeter antichthona decem sphaerae sunt: quocirca Aristotelis effato etiam minorem fidem habuerim. Coelum antichthona esse inepte censet Clemens Alex. Strom. V, p. 614.

aversa est a sole, et potius antichthon soli advertitur, terramque umbra sua obscurat. Atque inde apparet, non solum, qui noctes diesque oriantur, sed etiam, cur terreni homines centralem lucem spectare nequeant. Nam sive lux in terra sit, ut in G, sive nox, ut in g, splendorem centralis ignis abs terra defendit antichthon, ibi in H, hic in h posita: id quod Simplicius optime vidit, et Auctor placitorum his verbis exprimit: *Φιλόλαος ὁ Πυθαγόρειος τὸ μὲν πῦρ μέσον· τοῦτο γὰρ εἶναι τοῦ παντὸς ἑστίαν· δευτέραν δὲ τὴν ἀντίχθονα· τρίτην δὲ ἣν οἰκοῦμεν γῆν ἐξ ἐναντίας κειμένην τε καὶ περιφερομένην τῇ ἀντίχθονι· παρ' ὃ καὶ μὴ ὁρᾶσθαι ὑπὸ τῶν ἐν τῇδε τοὺς ἐν ἐκείνῃ* *), adeoque nec ea, quae ultra eam sunt, inter quae est centrale lumen. Etiam plus: apertissime hac ratione intelligimus, qui fiat, ut sol a centrali igne lucem accipiat. Nam quum terrae orbis obliquus sit, medii luminis radius recta via ad solem pervenire potest ex C in A, atque ita in hoc systemate optime omnia conveniunt. Antichthon quin etiam habet, quo collustretur, quippe quae semper versus centralem ignem convertatur. **) Postremo

---

*) III, 11.

**) Diserte hoc tradidit Empedocles de altero hemisphaerio ap. Stob. Eclogg. physs. I, 26. p. 530. qui locus dignus est, quem adscribam. Ἐμπεδοκλῆς, inquit, δύο ἡλίους, τὸν μὲν ἀρχέτυπον πῦρ, ὂν ἐν τῷ ἑτέρῳ ἡμισφαιρίῳ τοῦ κόσμου, πεπληρωκὸς τὸ ἡμισφαίριον, αἰεὶ καταντικρὺ τῇ ἀνταυγείᾳ ἑαυτοῦ τεταγμένον· τὸν δὲ φαινόμενον ἀνταύγειαν, ἐν τῷ ἑτέρῳ ἡμισφαιρίῳ, τῷ τοῦ ἀέρος τοῦ θερμομιγοῦς πεπληρωμένῳ, ἀπὸ κυκλοτεροῦς τῆς γῆς κατ' ἀνά-

inde solis lunaeque defectus Philolaus explicare potuit, quanquam in temporibus et numero defectuum ex illius ratione errores subnatos esse necesse est. Primum enim sol deficit in Philolai systemate, si luna inter solem ac terram intercedit, ut in r, quemadmodum et Empedocles statuebat *): deinde etiam si luna vel terra inter solem et centralem ignem est, ut in o vel F; quod Philolaum statuisse haud dubie non ignoraremus, nisi ea, quae de solis defectibus dixerat, casu intercidissent, quamquam a Stobaeo in excerpta erant relata. **) Lunam vero non a centrali lumine, sed a sole illustrari recte Pythagorici statuebant ***): itaque lunae defectus, testibus Aristotele in Pytha-

---

κλασιν γιγνομένην εἰς τὸν ἥλιον κρυσταλλοειδῆ, συμπεριελκυμένην τῇ κινήσει τοῦ πυρίνου. ὡς δὲ βραχέως εἰρῆσθαι συντεμόντα, ἀνταύγειαν εἶναι τοῦ περὶ τὴν γῆν πυρὸς τὸν ἥλιον.

*) Ap. Stob. ibid. Etiam Thales et Aristoteles. v. ibid. et placita philoss. II, 24.

**) V. Stob. Eclogg. physs. I, 26. p. 540. Heeren.

***) Ita pronunciavit auctor familiae Pythagoras ap. Stob. I, 27. p. 556. et ap. Plutarch. et Galen. de quibus v. Intp. Stob. Alii tamen dixerunt lumen lunae a centrali igne acceptum esse, ut apparet ex loco Aristot. de coel. II, 13. ἐνίοις δὲ δοκεῖ καὶ πλείω σώματα τοιαῦτα ἐνδέχεσθαι φέρεσθαι περὶ τὸ μέσον, ἡμῖν δὲ ἄδηλα διὰ τὴν ἐπιπρόσθησιν τῆς γῆς. διὸ καὶ τὰς τῆς σελήνης ἐκλείψεις πλείους ἢ τὰς τοῦ ἡλίου γίγνεσθαί φασι· τῶν γὰρ φερομένων ἕκαστον ἀντιφράττειν αὐτὴν, ἀλλ' οὐ μόνον τὴν γῆν. Ac sane difficile est intelligere, cur luna a centrali lumine non illustretur, nisi dicas lunae naturam non talem esse, ut lucem a centrali igne acceptam, sicuti sol, ad nos remittere possit.

goricis libris et Philippo Opuntio in commentario de solis lunaeque defectu, derivant ex oppositione modo terrae modo antichthonis. *) Quodsi terra et inter centralem ignem ac solem, ut F inter C et k, et inter lunam ac solem, ut inter k et i, ita quidem collocata sit, ut centralis ignis medium inter lunam ac terram locum teneat, ut C inter i et F, tum haec nostra terra F soli k adversa est, et lucem in se coniectam a luna i defendit, causaque defectionis lunae in terra posita est; contra, ubi cetera sunt, ut modo dixi, terra autem non in ea parte posita, ubi est F, sed in adversa E, ita ut media sit inter lunam et centralem ignem, tum terra nostra E aversa a sole est, antichthon autem m ab eodem collustrata impedit, quominus solis radii lunam i illustrent, et antichthon, non tellus proprie dicta efficit, ut luna deficiat.

Philolaus igitur, quamquam a vulgari et recepta opinione longissime recesserat, Pythagoricis commentis nimium addictus, verum mundi ordinem, ad quem accesserat proxime, non invenit, sed solem, quemadmodum ceteri, unum planetarum duxit, quum eum potius centrum huius mundi habere deberet. Cave tamen credas, si veterum nonnulli solem medium dicunt, eos terrae ceterorumque planetarum motum circum eum sta-

---

*) V. Stob. ibid. p. 558. Clarius idem dicit Plutarchus, quem habent, de placc. philoss. II, 29. esse lunae defectum ἀνταύγειαν τὸ μὲν τῆς γῆς, τὸ δὲ τῆς ἀντίχθονος, ubi vox ἀνταύγεια plane nostram sententiam exprimit. De Philippo Opuntio fusius egi ad Plat. Min. et Legg. p. 74—76.

tuisse; medium enim dicunt non tamquam centrum orbis, sed a centro et extrema mundi sphaera aeque distantem et in eo loco positum, ubi musicae sive harmonicae medietatis vim habet. Quod apparet ex ternis planetarum musicis ordinibus Pythagorae tributis, qui sunt hi *):

☽ νήτη συνημμένων
♀ παρανήτη συνημμένων
☿ τρίτη συνημμένων
☉ μέση
♂ λιχανὸς μέσων
♃ παρυπάτη μέσων
♄ ὑπάτη μέσων

νήτη διεζευγμένων	S	διάτονος διεζευγμένων
χρωματικὴ διεζευγμένων	♄	χρωματικὴ διεζευγμένων
τρίτη διεζευγμένων	♃	ἐναρμόνιος διεζευγμένων
παραμέση	♂	παραμέση
μέση	☉	μέση
χρωματικὴ μέσων	♀	χρωματικὴ μέσων
παρυπάτη μέσων	☿	παρυπάτη μέσων
ὑπάτη μέσων	☽	ὑπάτη μέσων
ὑπάτων διάτονος	♁	ὑπάτων διάτονος

In aliis ordinibus sol non musica ratione neque arithmetica nec geometrica medius est, sed eatenus tamen, quatenus

*) Auctores, unde eos sumpserim, et rationes, cur ita disposuerim, una cum numeris unicuique sphaerae convenientibus, reperies in uberiore explanatione Stud. T. III. P. I. p. 87 sqq.

utrinque par numerus planetarum collocatus est, ut, si terram et quae infra eam sunt, exceperis, erit in hoc systemate Pythagorico ex triplicibus intervallis constructo *):

Ignis	1
Antichthon	3
Terra	9
Luna	27
Mercurius	81
Phosphorus	243
Sol	729
Mars	2187
Iupiter	6561
Saturnus	19683

Illud igitur est, quod Placita dicunt, τινὲς δὲ μέσον πάντων τὸν ἥλιον; et causam aperit Chalcidius, quum dicit: *Positionem vero atque ordinem collocationis globorum vel etiam orbium, quibus collocati feruntur planetes, quidam ex Pythagoreis hunc esse dixerunt. Citimum igitur terrae praecipue esse lunae globum, post quem Mercurium secundo loco, supra quos Luciferi, superque eum solis, ultra quos globum Martium, ulterius Iovium, ultimum vero et vicinum aplani stellisque adhaerentibus ei, Saturnium sidus: scilicet ut inter planetas sol medius locatus, cordis, immo vitalium omnium praestantiam obtinere*

*) V. Plutarch. de procr. anim. in Plat. Tim. p. 324. T. VII. ed. Moralium.

intelligatur. *) Solem igitur, si comparationi venia detur, cor, terram pedes sive radicem, summum coelum caput mundi faciunt; quocum convenit quodammodo id, quod de symbolico usu mundani systematis in Platonis philosophia statim videbimus.

Sed ut revertar ad Philolaum, in eum plane cadit, quod Aristoteles Pythagoricos dicit non ex apparentibus causas rerum et rationes ducere, sed apparentia suis placitis accommodare atque ad haec detorquere, quamvis subinde haud infeliciter. Et Pythagorici quidem hoc de industria fecerunt, quum non tam adspectabiles in coelo res curarent, quam divinas ideas in coelestibus regionibus agnoscere atque admirari vellent: id quod a Platone, in his rebus Pythagoricorum sectae prorsus addicto **), satis edocemur. Hic enim in Republica ***) astronomiam, quae omnibus videatur mentis oculos ad superiora dirigere, et abs terrenis vicissitudinibus abstractos illuc nos evehere, ita quidem tractatam, ut tunc philosophos fecisse dicit (et quid de nostris demum astronomis dicturus fuisset?), plane ad humilia et vilia deducere animos censet. Etenim, inquit, ubi in lacunari coloribus variegatas picturas sursum latis oculis et resupino capite intueare, hoc profecto non est alte spectare,

---

*) V. cap. 71. p. 155. Similiter Proclus refert nonnullos putasse τὸν ἥλιον ὡς ἐν τόπῳ καρδίας ἱδρύμενον. In Tim. III, p. 171. med.

**) V. Rep. VII, p. 530. D.

***) ibid. p. 529. A sqq.

nisi ipsum id, quod sensibus haudquaquam percipitur, sed sola ratione intelligitur, intueri gestias. Verus astronomus, ait, coelum universum quam perfectissime fabricatum esse affirmabit: numquam tamen credet, noctium et dierum atque mensium et annorum spatia astrorumque motus tales esse, ut numquam mutentur, quippe quum ea corpus habeant et conspici queant: neque ille umquam earum rerum absolutam veritatem investigare volet. Ut in geometria igitur, ita in astronomia et musica rationes potius sequendas esse, istos autem in coelo apparentes motus, et in instrumentis perceptos auribus sonos mittendos, quod, qui eos metiri vellent, inanem essent operam suscepturi. Sic censentes Philolaus et Pythagorici, quum multa in naturae cognitione fingerent, quid mirum, si in nonnullis inter se discrepabant? Itaque ne in centrali quidem igne consentiebant. Simplicius enim, postquam ea, quae supra retuli, exposuit, haec subiicit: Sic quidem, ait, Aristoteles Pythagoricorum placita intellexit; qui tamen altius scrutati sunt, ignem dicunt vim formantem esse, et antichthona lunam atque aetheriam quasi terram; ignem vero ex media tellure universam nutrire ac sustentare. De luna quod dicit, neutiquam crediderim: etiam cetera non ita intellexerim, ut omnes Pythagoricos sic statuisse censeam, quum Philolao ignem seiunctum esse a ceteris sphaeris, geometricis rationibus demonstratum sit: potius haec singularis nonnullorum Pythagoricorum opinio videtur fuisse, qui ignem non corpus in medio positum, sed per universum mundum porrectam animam haberent. Hos

sequitur Plato in Timaeo, ubi dicit: *Ψυχὴν δὲ εἰς τὸ μέσον αὐτοῦ (τοῦ οὐρανοῦ) θεὶς, διὰ παντός τε ἔτεινε καὶ ἔτι ἔξω τὸ σῶμα αὐτῇ περιεκάλυψεν.* Nam *τὸ μέσον* est centrum terrae, quod, quum terra in medio mundo sit, una est mundi centrum, quamvis aliis interpretum solem, aliis lunam, aliis orbem fixarum intelligentibus, aliisque in Zodiaco sive in aequidiali orbe medium quaerentibus, aliis nullum omnino locum definientibus.*) Ab hac sententia stabant Porphyrius et Iamblichus, non coarctari in certum spatium animam mundi postulantes: et recte quidem: tamen Plato symbolice animam in centro ponit, et ex eo per artus quasi mundi diffusam, ut omnia continens et in unum vivum corpus coniungens eius vis indicetur.

Sed in Phaedro, ubi Plato iuvenis adhuc in dialogis scribendis tirocinium, peritum quidem illud et eximia arte institutum ponens, mundani systematis orbibus regionibusque utitur ad placitorum suorum symbolicam declarationem, Philolai commenta prorsus adoptata reperio, sive ea, ut alia Pythagoricae disciplinae in eo colloquio vestigia, ex fama vel a doctoribus Athenis philosophiam tradentibus, quos Plato studiose audiebat, acceperat, sive ex ipsis Philolai scriptis cognorat: quamquam illud hoc est verisimilius, quod libros huius Pythagorici ex Italia demum reportasse Plato dicitur.**) Igitur Philosophus,

---

*) V. Procl. in Tim. III, p. 471.

**) V. Menag. ad Diog. L. VIII, 85. quam narrationem probat Schleiermacherus meus in Praef. ad Phaedon. Ego tamen repeto, quae dixi

postquam immortalitatem animae explicuerat omnia moventis nec a quoquam motae, facit eam per universum coelum ambientem, ducentibus animarum coetus duodecim magnis diis, sola Vesta in deorum domicilio remanente; multaque ibi beatissima spectacula intra coelum conspiciunt, dum diversis tramitibus vagantur: dii vero, quando ad convivium pergunt, tum quidem acclivi via ascendunt in summum sub coelo fornicem (ἄκραν ἐπὶ τὴν ὑπουράνιον ἁψῖδα), ac deinde cum iis animabus, quae comitari eos potuerunt, postquam coeli dorsum assecuti sunt, circumlati loca supra coelum spectant, ubi pura et absoluta veritas, cognitio, virtus, pulchritudo, atque omnis omnino perfectio patet; illae autem animae, quae propter sensuum et cupiditatum impedimenta, effreno et contumaci equo comparatarum, consistere in coeli dorso nequeunt, et extra mundum collocatas rerum puras notiones percipere tranquille non possunt, eae decidunt in terram et mortales nascuntur homines. Haec est summa doctrinae in eo loco propositae, eaque multis ibi verborum involucris et insigni poetico atque oratorio ornatu velatur; nihilo minus, si qui sunt, qui putent, scriptorem sententiam suam parum aperte explicuisse, et ea, quae de coelestibus orbibus animarumque motibus leguntur, ad perspicuitatem adduci et certa figura repraesentari non posse, quanto-

---

in Annal. litter. Heidelbergensibus a. 1808. Fasc. 1. p. 111 sqq. et spero nunc etiam apertius fore, quam omnia conveniant cum Philolai astronomia. Phaedri locus est p. 245. C sqq.

pere ii errent, ex paucis, quae nunc subiiciam, liquido, credo, apparebit.

Prima occurrit deorum sedes, in qua sola Vesta remanet. Statim agnoscimus hic Ἑστίαν sive Διὸς φυλακὴν, in medio mundo positam et abs terra diversam, quam igneam Philolaus dicit: terra enim ipsa haec Vesta esse nequit, quum dii omnes animaeque inde veniant, et eae, quae ipsius veritatis splendorem ferre nequeant, in terram alio plane loco collocatam, decidere ferantur. *) Quamquam autem Vesta tantum in medio mundo est et apud Platonem et apud Philolaum, tamen non distinguitur a mundana anima, quum ex illa provenire omnes et deorum et mortalium animas videamus. Ita iam veterum nonnullos sensisse ex Proclo intelligimus, licet ipse aliam opinionem sequatur **); idemque diserte pronunciatur a Chalcidio his verbis ***): *Solam siquidem Vestam manere ait in sua sede, Vestam scilicet animam corporis universi, mentemque animae eius, moderantem coeli stellantis habenas iuxta legem a providentia sanctam.* Porphyrius †) ex Pythagorae, ut putabat, sententia, Vestam facit galaxiam; et profecto galaxias potest habitus esse pro splendore extrinsecus circumfuso lucis illius in medio mundo arden-

---

*) Tellurem intellexerat Timaeus Locrus p. 97 D. mundum Macrobius Sat. I, 23. Plura v. in Annal. litter. Heidelberg. l. l. p. 112.


**) V. Theol. Plat. VI, 21. p. 400.

***) p. 269.

†) de antro nymph. p. 127. ed. Rom.

tis; cui opinioni non male convenit, quod supra ex Rep. X. retulimus, et quod in Timaeo mundana anima extremum universi ambitum circumdare traditur. Ac similia ex Philolao et Parmenide statim referentur.

Iam qua ratione circa Vestam ceterae mundi partes dispositae sint, et quales animarum per eas motus fingere nobis debeamus, clarius fiet in hac figura.



Proximus Vestae terrae orbis ponendus est, ut omnes veteres statuunt, nisi quod nonnulli antichthona et similes etiam alios globos ei subiiciunt: ille igitur, si in C est Vesta, erit in regione orbis DFE. Supra terram collocandum coelum, ex octo, ut in Timaeo et Republica videmus, orbibus constructum, qui sint inter circulos KGI et BHA. Inter terrenam regionem et infimum coeli orbem, lunae puta, fornix est, qui complectitur spatium interiectum circulis DFE et KGI. Hoc spatium sub coelo positum est ὑπουράνιος ἁψὶς, ut in Phaedro

vocatur; in Phaedone sunt τὰ ὑπὸ οὐρανῷ ὄντα, ubi pro terra aer, pro aere aether fertur esse.*) Postremo quae super orbem BHA sunt, ea extra mundum esse dicentur. Iam apud Platonem animae vagantur per mundum, egressae a Vesta, quae est in C; tandem perveniunt ad summum sub coelo fornicem, ἄκραν ἐπὶ τὴν ὑπουράνιον ἁψῖδα, hoc est ad orbem KGI, ubi finitur fornix sub coelo positus et incipit coelestis. Terra ne impedimento sit, verendum non est, quippe quam penetrare animas opus non sit, quum, tanquam una ex stellis in aethere suspensa, sive in circulo DFE, sive, quod Philolaus habet, obliquo orbe. ut in figura delineatum est, circumferatur. Acclivis autem via est ex Vesta ad coelum, qualis erit in linea CG. Ubi vero ad infimum coelestium orbium pervenerunt, etiam coelum deinceps perrumpentes, ex G ad H evectae, in summo fastigio consistunt, et circumlatae continuo coeli motu omnia spectant, quae extra mundum sunt. At quae eo pervenire propter imbecillitatem et impotentiam nequeunt, eae iam introrsum recidunt, et feruntur in terram, sive eadem via, qua ascenderant, HF, sive, quod symbolicae verborum rationi etiam magis aptum videtur, obliquo casu ex H vel G vel interiecto spatio in tellurem D.

Habemus autem in hoc Phaedri loco tres universi plagas (διακόσμους), supremam extra adspectabilem mundum, supra H; mediam, quod coelum vocatur, inter H et G; infimam, sive sublunarem mundum, in quo est terra: et terrae quidem

---

*) V. p. 109. C. Praeterea de hac tota re cf. Proclum Theol. Plat. IV, 16.

congruum corpus est, coelo anima, loco extra coelum ipsa mens sive intelligentia; id quod ex Platone satis superque liquet. Iam quemadmodum apud Philolaum cetera similia reperimus, ita ternas etiam plagas diserte statuit: Olympum, igneum, qui mundum complectitur et cingit, puraque elementa (τὴν εἰλικρίνειαν τῶν στοιχείων), Pythagoricos numeros opinor, continet; deinde mundum (κόσμον), regionem sub Olympo, in qua feruntur quinque planetae cum sole et luna; postremo coelum (οὐρανὸν), sive sublunaria et terrena loca, ubi sunt res mutationi subiectae (τὰ τῆς φιλομεταβόλου γενέσεως). *) Haec Pythagoricorum placita etiam Parmenides in ea parte carminis, ubi res, quae sensibus percipiuntur, haud ex scientia, sed ex opinionibus non tam suis quam aliorum explicat, ita secutus est, ut Vestae loco in medio poneret numen, δαίμονα, ἣ πάντα κυβερνᾷ, quam κληδοῦχον, δίκην, ἀνάγκην appellat, deinde terrena loca (τὰ περίγεια), tunc coelum, et summum aethera sive ignem omnia circumdantem et includentem, quem nomine Stephanes appellatum haud veritus est deum nuncupare.

---

*) V. Stob. Eclogg. physs. I, 23. p. 488. 490. Non ipsius Philolai verba sunt, sed excerptoris: tamen nihil video, quod suspectam loci veritatem reddat. In quo si antichthon desideratur, neminem hoc offendet, qui nostram de ea sententiam comprobet.

**) V. Stob. ibid. p. 482. Cic. de N. D. I, 11. et Fragmenta Parmenidis vs. 120—122. Stobaei verba emendavi ceteraque huc pertinentia explicui in Annal. litter. Heidelberg. l. c. p. 116—118.